

Sammlung



16.

ORATIO
De
LINGUARUM
TRIUM, HEBRÆÆ,
GRÆCÆ, LATINÆ PRÆ-
STANTIA ET DIGNI-

TATE:

17

*Scripta & recitata in illustri Academia Lipsi-
ensi, Publicè in auditorio philosophorum,*

Die 13 Maij Anno Christi

M. D. CXV.

à

Martino Faschio Mansfeldens. Saxo. Art.
liberal, Baccal. & S.S. Theol. Stud.



TYPIS GROSIANIS.

Excudebat Justus Jansonius Danus.

Magnifico, Amplissimo Consultissimoq; Viro
Dn. JOHANNI CURTIO, PHILO-
sophiæ & I. U. Doctori, Rhetoricæ professori,
Facultatis juridicæ Assessori, ac Academia
Lipsiensis p. t. Rectori.


Nobilissimis Strenuissimisq; Viris Dn:
GEORGIO A NISMITZ, HÆREDI-
tario in Nebra, perckitz, capitaneo Electoris
Saxoniae Friburgæ & Eckersbergæ, curiæ
provincialis supremæ Assessori.

GEORGIO A GEUSAVV, HÆREDI-
tario in Farnstedt, Schönewerda &
Heigendorff.

*Dominis patronis, Mecænatibus & fautoribus multis nomi-
nibus honorandis. Ut & patruelibus, Affinibus ceterisq; agnatis meis o-
mnibus & singulis hanc Orationem in studiorum μαθημάτων, grati animi
σημειῶν & debita observantiæ. μνημόσυτον officiosè offert Autor.*

*Huc, precor, huc placidas, PATRONI, advertite mentes,
Linguicrepasq; hilari sumite fronte dapes.
Et velut obsequium, velut officiosa voluntas
Cælestem magè quàm victima pacat herum.
Sic humilem spectate animum; sic vestra, PATRONI,
Gratia sub roseo depluet imbri mihi.
O mihi dum talem fas sit sperare favorem,
Ipse rubri malim non spoliū omne maris.*

Martinus Faschius. Mansfeld: S.
Art: lib: Baccal: & S. S. Theol:
Studios:



Vanquam, haud immeritò spectabi-
 lis atq; eximie D. Decane, ut & ceteri,
 Excellentissimi Clarissimi atq; Huma-
 nissimi viri, juvenes ornatissimi, tum
 rudium omninò ac imperitorum homi-
 num multitudini, tum iis etiam, qui vix
 à primo limine artes salutârunt, mirum
 videri solet, tot, tamq; varia rerum ac studiorum negotia
 esse: de quibus vel disputari vel disceptari, vel differi, aliove
 modo agi potest, ut vix singillatim recenseri. (nedum com-
 prehendi intellectu memoriaq; mandari queant): tamen
 nos, qui in literariis officinis degendo à primis annis teneras
 ingenii nostri vires ad optimarum artium disciplinas con-
 ferimus: & in assequenda humaniorum literarum scientia
 omnem ætatis succum atq; florem consumimus: nullas alias,
 secundum literarum, linguarumq; exercitia & differendi,
 dicendiq; præcepta, nisi de DEO: de virtute, deq; rebus, de-
 niq; in natura obscuritate, reconditis atq; abstrusis, propo-
 sitas habemus exercitationes. Hæ sunt ingeniorum pala-
 stræ: hoc exercenda atq; excolenda indolis theatrum:
 hæc certissima studiorum nostrorum metæ. In hisce oportet,

ut desudemus, non otiosè domi vivamus: In hisce decet, ut
 omnes ingenii corporisq; vires adhibeamus, nihil unquam
 de gnava vera sedulitatis industria remittamus. Vbi cum
 primas sibi vendicet Deus, & huic prima cura potissimaq;
 tribuatur, necesse est. Cujus & vera noticia, verusq; cultus
 ex verbo divinitus patefactus ac revelatus est addiscen-
 dus. Cetera de virtutibus & suos auctores & suum tempus
 habent, condiscendiq; suam quoq; singula etatem. Ad
 rerum verò naturam quod attinet, (nam hæc hinc nobis
 pro scopo est proposita) sub ea comprehenduntur artes potis-
 simum, quæ vocantur à sermone ac ratione, Logica; quod ra-
 tionis & orationis usum ad humanitatem omnem in vita
 mortali inter homines, societate contineant. Harum a.
 (ut notissimis artium vocabulis utamur) tres sunt: Gram-
 matica, Dialectica & Rhetorica. Atq; hæc sanè communi
 usu, & quasi agnationis vinculo ita conjunctæ & copulata
 sunt: ut divelli partibus in universum ac dirimi non queant:
 quin alterius altera poscat opem res & conjuret amicè, alia-
 rumq; artium ac disciplinarum quasi quedam sunt adju-
 trices ac administra: tum & harum ministerio atq; admi-
 niculo reliquæ ad unum omnes traduntur, explicantur &
 docentur: Cum præsertim, quo vis sanorum ac intelligentium
 comprobante, nihil sine sermone & oratione doceri, nihil si-
 ne verborum ac pronuntiationis opera in quavis re peragi
 perfici-

perficiq̄ possit. Etsi verò *Dialectica* (quo eã in Scholis nomi-
 ne usitatissimè appellant,) generis appellatione, *Logica* sola
 quasi nominatur & organi, seu instrumenti, docendi nimirum
 rectè, ordinatè ac perspicuè, sine falsi admistione ac pertur-
 batione, appellationem sibi meritò ascribit, uniceq̄ ven-
 dicat, tamen ab hoc opere *Grammatica* & *Rhetorica* non
 omninò repelluntur & excluduntur. *Grammatica* enim
 quæ non tantum reliquarum artium, principium funda-
 mentumq̄ continet, sed suavissimum etiam condimentum
 est linguarum proprietatum ac perspicuitatum, in illius
 gratiam nutrit & educat, Ideoq̄ cum sine ea nihil certò sciri,
 nullaq̄ scientia rectè percipi possit, cæteris liberalium arti-
 um disciplinis veluti fundamenti loco substernitur. *Rhetorica*
 autem in oratione ornatum, nitorem, splendoremq̄ & co-
 piam, collectis undiq̄ elegantiarum flosculis, ornamentisq̄
 sententiarum veluti stellulis quibusdam adhibitis & ap-
 positis jactitat atq̄ ostentat. Atq̄ idcirco hanc ille uni-
 cus Romanæ parens eloquentiæ *Cicero* jam vela pandere,
 jam profluenti amni, magnoq̄ flumini similem dicit. Quam-
 vis igitur hæ mutuas operas tradant, alteraq̄ sine alterius
 auxilio esse nequeat, tamen *Dialectica* his superior imperat,
 quasiq̄ familiam ducens in docendi facultate sola domina-
 tur & regnat, propterea quòd ipsa rerum maximè, non ser-
 monis, non verborum nec orationis vim moderatur, atq̄

ratione utens, quâ intelligimus, quâ ratiocinamur, & qua proxime ad divinitatis, ex qua ducta & propagata est, exemplar accedimus: certum quendam veri, falsiq; cognoscendi modum præscribit; quid in quolibet cuiq; sit consentaneum, quid repugnans, quidq; ex quoq; efficiatur, quæ sit definiendi, quæ dividendi, quæ argumentandi ratio & tenere & alios docere præ se fert; ac ut semel dicam veritatem, in re qualibet subtilissime & acutissime indagando perscrutatur, evolvit atq; explanat. Relictis igitur cæteris, ac silentio involutis hoc tempore: cum consensu spectabilis & clarissimi Domini Decani, inq; omni arte ac doctrina præstantissimi (de haud vulgari linguarum dignitate, ac præstantia) quarum in grammatices studio facultas est posita ac fundata (quæ rudes & imperfectos animos ita instruit; ut primas literarum figuras agnoscere, agnitas componere, compositas pronunciare, & sic quasi per gradus progressi, pure loqui, eleganterq; scribere, aliorum deniq; scripta intelligere condiscant) aliquid verborum facere pro tenuitate virium mearum institui. Cujus equidem, quem modo honoris ac debitæ observantiæ causa nominabam, viri præsentia licet satis magnam audientiam, benevolentiamq; mihi conciliari posse sciam: tamen à vobis, ea qua par est animi submissione rogo ac contendo, ut qua lenitate & attentione alios audivistis, ea quoq; me complectamini, neque apertas

modò aures: Sed attentos etiam animos mihi accommodetis. Quamvis verò humanorum argumentorum quæ ad eximiam studii linguarum dignitatem ac majestatem ostendendum & demonstrandum adduci possunt, tantus est cumulus, ut Lybicas, quòd dicitur arenas, tantaq; seges, ut Gargarorum Messes superent: tamen in præsentia divinis quoq; auctoritatibus (quibus & major fides adhibenda est) rem expedire & planam facere non absq; singulari consilio mihi decretum est. Idq; propter instantis temporis festivitatem, quo Spiritus Sanctus Cælo demissus, augustissimum illum Apostolorum cætum divina luce collustravit, cælesti ardore inflammavit, summisq; viribus instruxit & corroboravit. Hinc enim luce meridianâ clarius patet DEUM ipsum omnis boni inventorem, approbatorem ac propagatorem optimum maximum eximio, modisq; omnibus prædicando, testimonio publico linguarum præstantiam, gravitatem, necessitatem ac suavitatem non Apostolis modò, reliquisq; auditoribus ac spectatoribus: Sed etiam nobis calidius commendasse. Sunt igitur, ut hinc potissimum exordiar (hæ linguæ non ab humano ingenio excogitata, neq; à Philosopho quodam sapientissimo profectæ.) Sed ab omnipotente rerum omnium fabricatore & conservatore, Deo generi humano benignissimè data ac concessa, adeoq; ad posteros usq; propagata atq; conservata. Quibus cum nullum divi-

nus,

nullum majus, præstantius vè, nec hominum societati utili-
 us, aut fructuosius munus à patre omnis bonitatis fonte su-
 donatum? quis tam vecors, incogitans ac insanus est, qui
 DEI ipsius auctoritate nobilitatem linguarum dignitatem,
 ac majestatem magnificendam, omnibusq; aliis ante-
 ponendam & ad cœlum usq; extollendam non arbitretur?
 Sæpe alia beneficia divina mirè celebrantur & de prædican-
 tur, & rectè quidem; nos tanto munere, minimeq; cum illis
 comparando affecti, quo animo esse debemus. Sæpe pro ex-
 iguis munusculis Deo gratia ingens redditur, ut reddenda
 est: nos illud eximium atq; splendidum munus nullo honore
 dignabimur? Qui erimus, Auditores, si hoc fecerimus? Sæpe
 numerò beneficentia tenuis divinæ gratiæ dignis laudibus
 evehitur: nos tantam DEI munificentiam illaudatam
 relinquemus? videamus sanè, ne ut his pulcerrimum est et-
 iam minima DEI bona laudibus efferre & magnificare,
 sic nobis turpissimum sit, præstantissimum, maximumq;
 munus omni laudis honore defraudare ac privare velle.
 Quod si, cui vestrùm fortasse admirabile, absurdumq; vi-
 deatur, qui dicendo constanter affirmo linguas esse ma-
 ximum, maximi DEI donum: cum sint potius ineluctabile
 pœnæ supplicium intolerabilis illius & in DEUM perquam
 contumeliose arrogantia, atq; conatum impiorum ac ne-
 fariorum, insanã turris inusitato modo ac insolenti magni-
 tudine

extruccionem præter jussum ac voluntatem DE I molientium: sed summo tamen eum ignominia dedecore ab opere capto depulsum: Is si verborum meorum rationem cognoverit: in eam quàm protuli, sententiam non invitis animis (quod ajunt) pedibusq̄ ibit. Quanquam verò teste Moyse, errore corrupti, falsaq̄ superstitione ducti, & extra DEI veram Ecclesiam, ipsiusq̄ noticiam, densissimis ignorantia tenebris excæcati, hoc machinati sunt, temerarium tamen hoc ausum impunè non tulerunt. Atq̄ hinc etiam ingeniosas poëtarum narrationes, sub quarum veluti involucris atq̄ integumentis omnis doctrina elegans, omnis ingenio humano digna cognitio, omnisq̄ delectationis suavitas delitescit, de Gigantum ac Titanum, immensa molis hominum temeraria ac factiosa audacia extitisse non immeritò suspicamur, qua adversus cælum, cœliq̄ & omnis universitatis imperatorem ipsum DEUM bellum gessisse: atq̄ ut poëtae verbis ut amur.

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes.

Altaq̄ congestos struxisse ad sidera montes.

Quid enim aliud Titanes fuisse quàm impiam quandã hominum colluviem, DEVM de cœlesti sede pellere conantem, hoc est, verbis factisq̄ negantem numen illud supremum, est credendum? Quid? quòd (sic enim ijdem ex eodem Mose objiciunt) prius, quàm hæc mutatio, linguarũ confusio

B

fieret

fieret: singuli mortales ab uno patre, matremque procreati eadem lingua, quam cum nutricis lacte sugebant, à parentibus audiebant, à populo in triviis condiscabant, sunt usi, quæ omnium est vetustissima ac antiquissima, nimirum Hebræa. Quæ cum ita sese habeant, quis est inquit, qui pœnam, quæ insanissimi ac furiosissimi architecti turris ad cœli verticem, usque evehenda affecti & multati sunt, ut eximium DEI donum verbis & laudibus exornet? quin illam potius, ut bestiam pestiferam & venenatam non refugiat, non aversetur, non excretur. Nam per DEVM immortalem, quid est DEI donum nisi res bona, utilis, fructuosa, & jucunda? Quid à DEO aliud proficisci potest, nisi id, quod commodo est & emolumento omnibus? Quomodo ergo quod pro pœna adhibitum est & importatum, quæ in nobis hæret, residetque, pro dono & munere habebitur? His igitur, qui sic sentiunt & clamitant, ita responsum velim: Etiam malis DEVS benè uti novit: & quæ pessima videntur, in optima transmutare callet: Cujus Sententiæ quidem astipulatorem & approbatorem habeo, magnum illum gentium doctorem Paulum, qui piis ac fidelibus quævis mala in bonum cedere verissimè simul & dulcissimè affirmat: Sed esto, malum fuerit, damnumque ingens primæ & linguae confusio, perturbatioque rectè confirmetur, gravius in temerarios istos extractores supplicium vix decerni potuisse, quàm ut communi lingua.

lingua ceu verissimo ad intelligendum medio sublato sese agnoscerent invicem pecorum aut truncorum instar, & dolobram, verbi gratia postulanti alius porrigeret asciam, panem flagitanti lapidem offerret, tamen DEUS Optimus Maximus hoc malum pro immensa misericordia bonitate leniit & mitigavit, dum linguarum ex ista confusione cunctarum interpretes donavit ac interpretandi Magistros, quorum auxilio atq; opera quàm scitissimè ac peritissimè vis illarum, proprietates & perspicuitas explanaretur: Id quod nullo alio modo factum esse constat, nisi opera doctoris doctorisq; unici Spiritus sancti, Immo ipsius Filii DEI, Magistri Magistrorum, qui & sunt & fuerunt & erunt, omnium; qui & ipse tanquam unicus interpret, mentisq; ac voluntatis erga humanum genus enarrator, ex arcano divinitatis consilio prodiens, primus decretum salutare de remedio morsui serpentis antiqui pestifero adhibendo nobis patefecit, exposuit ac declaravit: Quinetiam, æternus æterni DEI natus, ideò λόγος est appellatus, quod per eum pater dicendo omnia ex nihilo creavit ac condiderit: & omnia, quæ in hac immensa rerum universitate continentur & cernuntur, etiam nunc verbo regat, verbo deniq; defendat ac conservet. Sic enim ille primus prima rerum omnium productionis auctor atq; scriptor Moyses. Initio, inquit: DEVS Cœlum ac terram condidit, Dominus

Spiritus super aquas ferebatur, & dixit DEUS fiat lux, & facta est. Quin & idem veritatis Magister ac propugnator acerrimus ipse CHRISTVS prostratos, percussorum discipulorum animos hac dulcissima promissione erigit & confirmat: Dabo vobis os & sapientiam, cui omnes adversarii technis ullis machinisve resistere, nequeant, idcirco intrepido, infractoque animo estote. Et alibi idem: dabitur vobis, inquit, fidiissimi comites brevi hora momento, quod loquamini, & iterum idem ait: Non vos estis, qui loquimini: Sed Spiritus patris est, qui loquitur in vobis.

Terrestri verò hujus, vitæ statu prorsus atque planè deposito, post sua in his terris confecta munia ad unum omnia, jam jam mundo dilectissimis discipulisque valedicturus, & ad patrem cœlestem ascendendo divinum regnum occupaturus: accepta à patre cœlestia dona, qui est Spiritus sanctus seorsimque linguarum munera ministris suis promittit, promissumque illud ad diem dictum tam plenè, tamque perfectè representavit, ut incomparabilis illa ac prodigiosa in Apostolos Spiritus sancti effusio non Hierosolymis tantum, sed universo mundo innotesceret. Quod si mira gesta rei portentapaulò paratiore, promptioreque animi studio perpendimus: certitudo & veritas impertiti manifestè Spiritus S. tam dilucidè patebit, ut nemo sanus Apostolos linguarum dono ac munere quàm cumulatisimè, ad auctos & collocupletatos

tatos fuisse, negaverit. Etenim quid illa flammantiū quasi-
 que disilientium scintillantibus igniculis linguarum species
 admirabilis representat. Quid? nisi interprete peritissimo
 Luca, in illa ignea figura ipsum Spiritum sanctū illis insedis-
 virtutumq; & eruditionis vim inspirasse? Act: 2. cui quidē rei
 tam inopinata, tamq; inusitata ipsi Apostoli antea in literis
 & lingis omnibus alienigenis hospites: jam verò præter mo-
 dum, rationisq; humana captum eruditi ac disertissimi-
 simam faciunt fidem. Itaq; hac confirmati Apostolorum
 Auditores, spectatoresq; reliqui nolentes volentes idem non
 potuerunt fateri. Quid verò illi? Audimus eos, inquiunt
 nostris linguis loquentes, stupenda DEI opera eos renuncia-
 re, at immortalem DEUM, quàm varia gentes, exterāq;
 diversarum linguarum nationes hinc convenere. En adsunt
 parthi, en Medi, en Elamitæ in hoc Cætu: & horum tamen
 sermonis usum illi, perfectè callent. En Arabes, cappadoces,
 phryges, pamphili, Lybici, aliūq; innumerabiles circumstant,
 & horum tamen omnium vernacula lingua illi peritissimè
 utuntur: Quid monstri ergò hæc res alat, nobis non satis con-
 stat. Illis igitur ut facilius tam insolentis rei prodigium per-
 suadere queat Bethsaidensis piscator olim, ac quibusq; in-
 fimis, rerumq; imperitissimis homunculis connumeratus:
 Jam tamen summo DEI favore legatus & orator Jesu
 Christi maximus, Joëlis Prophetæ oraculum, quo ipse, plus

annis septingentis ante ejusmodi eventum, idem futurum
 præfagiit ac prædixit: Neq³ verò omittendum puto Paulum,
 qui linguarum donum à Spiritu sancto proficisci apertissi-
 mè confitetur: ingentium ac incomparabilium ubertim à
 Spiritu sancto effusorum munerum beneficentiam conveni-
 entissimè discernit, quod linguarum variarum & scientia;
 & interpretatio est, tum etiam utrumq³ ab uno, eodemq³
 Spiritu dari instillariq³ affirmat, & ita affirmat, ut non
 absq³ singulari consilio eadem ibidem repetat, iterumq³ in-
 culcet, ipsiq³ DEO cùm cetera dona verbi ministris ac docto-
 ribus necessaria, tum etiam linguarum munus potissimum
 ascribat. Quod si verò Auditores, tantam à DEO ipso nobis
 concessarum divinitus linguarum divinitatem ac majesta-
 tem nonaun cernitis, ante oculos modò, in cruce dispeßis ma-
 nibus pendentem immortalis DEI Filium ponite. Proh DEI
 atq³ hominum fidè, quanta dignitas, quanta gravitas; quan-
 tumq³ linguarum mysterium in illo sese conspiciendum præ-
 bet. Considerate quæso illud, quod linguas tres maximè cele-
 bratas & nobiles, Hebræam, Græcam & Latinam sibi uni-
 cè cōsecravit. His addite, quod in presenti ipsius mortis ago-
 ne, quasi singulari testamento eas linguas sibi medullitus ad-
 amata Ecclesia legavit, & veluti hereditatis loco usurpan-
 das dedit. Excutite diligentius & illud, quòd nec in aula
 quadam nec regia, sed in supplicij loco; adeoq³ in ipsius cru-
 cis

cis stipite est transactum & confectum: Accuratius denique
 apud animum pensitate, quòd in fronte harum linguarum
 quasi diademate quodam decorari & ornari voluit. O sacra
 linguarum arcana: O divina linguarum majestas. Atque hinc
 etiamnum cotidie in hisce linguis regnantem, atque in omnes
 omnium gentium populos vim suam exerentem Christum
 videmus: Immo omnes oras, cunctasque regiones, omnesque in
 ijs urbes ac oppida linguarum adminiculo regi, ac governa-
 ri cognoscimus. An verò uspiam ullum tam desertum in ter-
 ris locum putamus, quo non linguarum usus perveniat? ubi
 non vigeat, floreat, enitescat? Nam quid ego divinissimi
 scriptoris Mosis monumenta dicam. Quid sanctissimorum
 vatum oracula loquar? Quid historiarum de precipuis du-
 cibus ac regibus in Dei populo consignatarum gesta comme-
 morem? Quorum singula sanè primò per nullam aliã, nisi per
 Hebræam edita & in æternam hominum memoriam fuere
 disseminata. Evangelia verò ab Apostolis, horumque disci-
 pulis & sectatoribus, Græcis potissimum literis mandata es-
 se constat. Quibus & septuaginta interpretes, quorum in-
 dustria, sedulitatisque dexteritate (si nos nihil fallit) ipsa
 veteris testamenti forma in Græcam linguam commutata
 est, accedunt. Postremis verò temporibus omnia in latinum
 sermonem sunt conversa, Romanæque ferè puritatis mundicie
 ornata atque exculta unde & postea in alias linguas tot genti-
 um

um, tot populorum: quot ad Christi fidem DEVS converti,
 & ad cœlestis doctrinae veritatem perducere, verboq; divino
 illustrari, & sacris cultibus initiari voluit: illi sacri libri pe-
 nē admirabili ratione, singulariq; prorsus divini Spiritus
 hortatu & instinctu transierunt. Non igitur hoc est illud
 ipsum, quod tam longè ante à psalmographo regio Davide,
 in omnibus nimirum linguis predicari DEI diligentissimè cu-
 raturum & predictū. Non hoc ipsum eodem spectat, quod idem
 ait? omnes gentes celebrando DEVM ac Dominum ad astra
 usq; sublaturus esse; omnes verò gentes & populi quomodo
 illum agnoscunt, quomodo predicabunt, nisi id suis linguis,
 quæ communicandarum participandarumq; animi notionum
 aperiendarumq; cogitationum quasi instrumenta quaedam
 sunt exequentur: Natura enim ideò hominibus linguam da-
 tam voluit, ut eum ipsi pro suo arbitrato articulata atq;
 distincta vocem ederent, quasiq; compacto statuerēt, quàm-
 cum cuiq; vocis vim in esse voluit, tum eo testatur nullo ad
 eam, quæ animo concepissent, patefacienda uterentur. Id
 quod & Paulus suo calculo comprobatur sic firma connexionem
 efficiens & colligens: quomodo invocabunt, nisi credant:
 quomodo credant, nisi audiant: quomodo audiant, nisi eis sit
 explicatum. Qua vocatione populis ritè explicabitur, nisi
 ipsorum vernaculis linguis id fiat: Ex his igitur perspicuè &
 manifestè in tot gentium populorumq; linguis Evangelij do-
 ctrinam

Trinam disseminari & divulgari oportere, quot in Christum credituris ipsiusq; placitis veram fidem sunt adhibaturi, apparet. Hoc autem nulla alia ratione, nisi ipsius DEI auctoris & datoris linguarum unici, ac sancti etiam Spiritus instillatoris optimi virtute & auxilio fieri posse, illa illius hymni dulcissimi cantiuncula celebrat:

Tu ritè promissum patris

Sermone ditas guttura.

Quam & idcirco ad personam Trinitatis unius Dei tertiam cœtus, Ecclesiasticus & Scholasticus ad impetranda ipsius dona, publicè privatimq; Christiani nominis professoribus & confessoribus necessaria, jure ac meritò indies & cotidie usurpat, & in alia, cujus initium est: Sancti Spiritus adsit nobis gratia, sic canit Ecclesia.

Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi tunc præcinerent inclita. Apostolos confortasti, ut per trophæum Christi per totum mundum veherent. Tu divisum per linguas mundum & ritus adjuvasti Domine. Quid dicam de ingentibus commodis maximisq; fructuum redditibus, qui ad linguarum amatores ac cultores industrios redundare solent? Qui profectò tanti sunt, ut ne cogitari quidem multo minus enumerari queant. Sed nè vobis, auditores, molesti simus, profectò dici non potest, quanta sint linguarum utilitates, quanta emolumentorum commoda, quæ semper illæ veluti quadam

C

copia

copia cornu suis cultoribus attrahunt & apportant. Quamquam verò complures ex humana illarum fructus decerpi colligiq; possunt, tamen ab aliis abstinentes tantum divinos quosdam delibaturi sumus. Primum igitur Esaias propheta duas maximè insignes atq; illustres linguarum utilitates copulat & proponit: Sic enim ille, plantas, inquit, cœlum & fundas terram. Hæc duo certè linguarum usu & ministerio æquè ac aliæ res in vita humana carere non possunt. Quid enim est plantare cœlum aliud, nisi, ut fontibus quibusdam amenissimos hortulos, ita Ecclesiam tanquam terrestre cœlum linguarum liquore irrigare: Cœlum enim est Ecclesia, quæ sine linguarum adminiculo non magis colligi potest, quam hortus conseri & exornari omnigenis plantis & arboribus suavè spirantibus, aut consitus perpetuari citra humoris & irrigationis opem, plantæ autem quæ ibidem crescunt, quid aliud sunt, quàm fidelium animi, qui de Deo, de Angelis, aliisq; sublimibus & ad salutem pertinentibus rebus per linguarum instrumenta invicem communicant, & instar bellissimarum plantularum in agnitione Dei suiq; noticia pulcherrimè adolescunt. Porrò quid fundare terram, nisi solidè fulcire, probeq; munire, ut nullius tempestatis turbine labefactari, nullo impetu concuti aut convelli queat? Quemadmodum enim extructionis stabile atq; firmum fundamentū esse oportet, alioquin in edificio quicquid superstructum fuerit,

rit, derepente corruet: Ita & sine linguarum fundamento nihil stare firmumq; & fixum manere nihil valebit. Orationis igitur nostra summa eò redit, quòd nimirum lingua ostendat idipsum, quo terrarum orbis, quaq; hujus ambitu continentur, quasi illo Atlante cœlum fulcitur ac sustentatur: Etenim, Auditores, quid instrumenti est, quo ministri verbi cœlestem doctrinam populo & auditoribus enucleant? Lingua. Quo in Scholis doctores præcepta artium tradunt? Lingua. Quo Magistratus cum subditis, actor cum reo, alijq; cum aliis agunt? Lingua. Quo patres deniq; ad filium berus ad servum, bera ad pedissequam utuntur? Lingua. A linguis ergò divina humanaq; doctrina, à linguis omnium artium cognitio promanat: Per has cõcionatores, ab his doctores, ab his Reipubl. gubernatores exitère. Neq; quisquam unquam in docendo, alia vè re sapienter prudenterq; per agenda excelluisse reperitur, nisi qui linguarum instructus est adminiculo. Testis est Deus ipse gravissimus, qui vatem Esaiam sic alloquitur: Dedi verbum meum in os tuum, ut fundes terram. Ubi sine linguarum quasi fulcro & pedamento quodam soli fundamentum nec consistere, nec integrum esse posse, apertè ostenditur. Terram verò sine verbo, cum verbum linguis doceatur atq; explicetur, neq; sine linguarum ope propagetur, nec stabiliri, nec fundari posse, nemini non notum est. Verbum autem prædicari, ac propterea

linguarum quoque, tanquam internunciorum & verbo quasi satellitum quantus emolumentorum sit cumulus, quantusque fructuum acervus, à Deo Jeremiæ inspiratum oraculum nobis declarat: Sic vero illud habet: posui verba mea in ore tuo, ut destruas, ut evellas, ut excindas, contra etiam, ut ædifices & plantes. Atque hinc Græcorum proverbium natum non immeritò videtur, quod apud Suidam aliosque legitur:

Γλῶσσα πῶς πορεύει, πόλιν ὀρθώσῃσιν καὶ πάλιν ἀναστρέψῃσιν. Hoc est: *Lingua quo vadis? Erectum civitatē, tandem mox subversura. Quod si ergò tanta vis est lingue in humanis, quantum in divinis esse existimemus? Quæ ut mundanorū hostium opulentiam, & copias potestatemque destruit, evertit, sic & Ecclesiam Christi, qui sunt p̄ij ac fideles homines, ædificat, corroborat atque plantat. Itaque & Christus eloquentiæ fons & origo, dicendi copiam facultatemque omnem omnium oratorum & Rhetorum eloquentiam superantem discipulis suis pollicetur, ijsque veram Evangelij confessionem sui que nominis prædicationem, & frequentē cœlestis patris celebrationem & sancti denique Spiritus laudationem sedulò inculcat. Linguarum enim varietas certis & angustis limitibus non tenetur, sed toto terrarum orbe diffusa est. Alibi autem aliæ atque aliæ dominantur & vigent: Italicè in Italia loquentem soli Itali intelligunt: Qui Syriacè loquetur, inter Germanos promuto habebitur: Germanus inter Arabes & alios barbaros nutu ac manu pro lingua uti cogitur: Qui Gallico sermone*

differat, ubi è Gallia exierit, irridebitur. Quod cū ita sit, di-
vino prorsus & admirabili factum est consilio, ut ex omni-
bus hodie linguis delecta sint quasi ubiq; terrarum atq; gen-
tium Domine, Hebræa, Græca, Latina: Quo circa, qui
Hebraicè, Græcè, Latinè sciat, is, quocunq; terrarum
venerit, non intelligetur tantum, sed apud plerosq; erit
admirationi. Atq; hæc causa est, cur alij Apostolorum,
aliis terrarum oris, & per singulorum populorum linguas
crucifixum Christum, ipsiusq; doctrinam annunciarint. Pe-
trum enim Bethsaidensem produnt, aliquando Romæ docu-
isse, quod latino sermone fieri oportuit, Romanis vernaculo;
A quo tamen Epistolas Græcè conscriptas legendo deprehen-
dimus. Quis in terrarum orbe Paulo clarior? Cujus facta
paria? Nullum in tota Asia & Græcia, & Macedonia &
Syria cæterisq; Mcditerranei maris Insulis, urbem aut vi-
cum inveniri puto, quæ illius doctrina singulorum illorum
linguis involutà non fuerit illustrata. Tandem & Romæ &
in Hispaniis & Galliis conciones habuisse verbaq; de cruci-
fixo Christo fecisse scribitur. At queruntur quidam asperam
& salebrosam esse ad linguarum penetralia viam, inamœ-
numq; & difficile illarum studium, quodq; nulla dulcedine
aut allicere, aut allectos detinere animos possit: o molles ac
delicatos homines? Sed non patiar illos in errore versari diu-
tius: Sciant enim hoc studium, quod asperum & inamœnum
putant, tam dulce esse, tamq; jucundum, tamq; facile & ex-
pedi-

peditum, ut nihil suavius, nihilq; facilius, nè quidem votis conceptis expetiqueat. Etsi verò Apostoli, eorumq; discipulis ac sectatoribus variis linguis loqui facilimum, maximeq; proclive erat, quod in momento illarum scientiam à Spiritu sancto consequerentur, dictoq; ocyus earundem usum calle- rent, tamen neq; nobis aliquid in harum studio assequendi & acquirendi nulla omninò est facultas? cum nihil tam arduum, tam vè abstrusum ac reconditum esse possit, quod diligentia assiduâ, indefessoq; studio non peruestigetur & eruatur. Neque verò illud mirum in Apostolis, quibus singulari Dei consilio ac voluntate, ob Evangelij doctrinam primitus per universum terrarum orbem in omnes populos spargendam disseminandamq; linguarum notitia divinitus erat concessa. Id quo nobis nunc non est opus, cum divinum verbum ita patefactum atq; illustratum sit, ut illustrius aut explicatius in posterum fieri vix posse videatur. Licet verò singulari ineffabiliq; Dei beneficio Hebraica biblia per prestantes viros in linguam vernaculam ita nobis sunt translata, ut illo peregrinitatis quasi cortice ac putamine detracto velut ipso nucleo vesci, & ut osse confracto succum ac medullam ipsam exugere nobis liceat, tamen linguarum studia nulli idcirco sunt negligenda, sed omnibus percipienda & cognoscenda memoriâq; infigenda: Sicutinamq; attestante poëta, purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Ita planius pleniusq; ex Hebrais, Græcis, Latinis ipsis monumentis veritas cælestis, quàm ex interpretibus hauritur: quæq; verborum

ac do-

ac dictionis sæpè sit vis nativa ac pondus melius deprehenditur & apparet. Tum earundem etiam auxilio atq; cognitione, matris Ecclesie testimonio, è Græcis Latinisq; orthodoxis petita firmiore fide accipiuntur atq; approbantur. Acharum deniq; adminiculo nostra orthodoxa ad diversos populos exterarq; gentes ritè propagantur atq; conservantur. Ad linguarum igitur cognitionem primò facilimè nobis aditum mira, eximia, præstansq; ingeniorum bonitas, solertia atq; docilitas, quâ plurimi naturâ præditi atq; ornati reperiuntur, faciunt. Deinde ad earum intelligentiam nostrorum quoq; temporum felicitas plurimum momenti affert. Hoc enim ultimo seculo tanta lux accensa est tam in linguis & artibus, quàm in reliquis disciplinis, ut hominis nomine, non dicam Christiani indignus esse videatur, qui à DEO ingenii acuminè instructus, summa curâ, summaq; industria eas addiscere non summopere studeat. Nec verò desunt ubiq; qui viam ad earum scientiam & indagationem sternant, præceptores, Magistriq; mira docendi ac dicendi dexteritate instructi. Florent adhuc DEI gratia, ut scitis, auditores, viri excellentes, ingenii ac rare prudentiæ, itaq; etiam omni observantiæ studio colendi, qui verè ipsi probata fidelitate nobis linguarum varietatem, verumq; usum explicant & communicant. Quid autem de librorum, quibus earundem præcepta quàm rectissimâ viâ, accommodatissimâq; ratione traduntur, copiam verborum faciam? Quid optatissimum otium ac tranquillitatem, quâ fruimur in his locis celebrem? Quid loci deniq; commoditatem, ac invitantem quasi salubritatem multis deprædicem? Quid? quòd non omnes omnium populorum linguas, sed duas tantum vel tres unâ discere cogimur. Nam ceterarum cum usus penè nullus sit, quòd ingeniorum vires frangantur, tempusq; conteratur ferè supervacaneum videtur. Qui verò Hebraicè, Græcè Latineq; callent, ij, quocunq; locorum, & terrarum venerint, in omnibus regionibus aliquos reperient, à quibus sine interprete intelligantur. Cur igitur Auditores, non amamus linguas; non amamus literas; cum hoc quasi compendio facilimo ac brevissimo sine omni mo-

lestia atq; difficultate ad earum indagacionem perveniri possit, cumq;
vera fide accensis precibus à Deo impetrari earundem cognitio queat.
Ideoq; quo magis laudandi sunt ij, qui earū peritia delectantur & cum
fruge utuntur, eò vehementius objurgandi sunt illi, qui easdem vel pla-
ne abhorrent, vel iisdem impiè nefarieq; abutuntur. Nam complures
cotidiè linguarum varietate sese ostentare, sed sepè inaniter, aliosq; qua-
si ignaros & elingues praese contemnere videmus: Nec desunt, qui ha-
rum studio abusi haud veritati, sed mendacio, non equitati, sed iniqui-
tati patrocinantur. Quorum tamen omnium pessimi, qui ad cauponan-
dum verbum Dei & questum ex eo faciendum, aut malitiosè altercan-
dum, sicuti hodierna haereticorum cohors tam Calvinia, quam Jesuitica
& Photiniana cohors solet, abutuntur, & se Rhetores jaectitant, & ex ver-
borum spuma è vulgi judicio famam & gloriam aucupantur, tum literis,
tum libris, si Diis placet, immortalem. Quæ cum ita sese habeant, cumq;
linguarum & eloquij disertis tanta sit divinitas, tanta majestas, tanta
suavitas, tanta utilitas, tanta deniq; facilitas, quid obstat, honoratiss-
simi juvenes, quo minus ad linguarū sacraria & orationis facundæ, ele-
gantis, perspicuæ, adita omnibus nervis condendamus? Quid obstat, quo
minus ejusdem studij oratorij, quod profluit è linguarū peritia, amorem
cordibus nostris instillemus? quid obstat, quo minus earundem usum fre-
quenti exercitio nobis comparemus. Impellat nos, & trahat huc ipse Auctor,
propagator & conservator linguarum optimus Max. Deus: Flectat mentes
nostras ipsius unigenitus ab æterno Filius, qui non solum hoc est, sed maluit
supra caput ipsius sacratissimè tres linguas illas Cardinales pro perpetuo mo-
numento & insigni affigi: Moveat nos deniq; Spiritus S. cujus beneficio lingua-
rum munera in Apostolos largissimè fuerūt effusa. Quibus quidem rationū mo-
mentis si quis persuaderi nolit, illi sibi habeat, & in ignorantia nō modo perma-
neat, Sed & hominis eruditi nomini & famæ vale licat, & ad barbaros abeat,
barbariemq; quæ hodiè non tam linguis, quam litteris & studiis humaniori-
bus imminere videtur, experiatur. Nos ex eorum erimus numero, qui linguas
& artes liberales non modò ambabus complectamur manibus, sed &
pro mediocri ingenii captu easdem intellectui
nostro instillemus.

99 A 6908

ULB Halle 3
002 927 25X



Handwritten initials: JB

Retro 1

VDA 17





O
RUM
EBREÆ,
NÆ PRÆ-
DIGNI
Academia Lipsi-
philosophorum,
 Christi
XV.
 dens. Saxo. Art.
 theol. Stud.
 ANIS.
 nius Danus.

72

